A
XXX
111
O

A·XXXIII O

14067/p

45742

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

quâ

# In Praxi Felicitas Mechanicorum vindicatur.

*QUAM,*

DEO T.O.M. ANNUENTE

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. FRANCISCI FABRICII,

S. S. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS PUBLICI, UT ET ECCLESIÆ IBIDEM PASTORIS;

NEC NON

*Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu,*

*& Nobiliſſimæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

*Eruditorum Examini ſubjicit*

ABRAHAM VAN BLEISWYK, C. F. Woudrich. Bat.

*Ad diem 1. Septembris horâ x. locoque ſolito.*




LUGDUNI BATAVORUM.

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. M DCC VIII.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

*Nobiliſſimis, Ampliſſimisque Viris,*

# D. EVERHARDO VAN BLEISWYK, Patruo.

# D. JOANNI SLICHER, J. U. D.

Inclit. Reipub. Delf. Senatori ac Scabino. Præpot. D. D. Ordinum Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Rerum Eccleſiaſticarum Quæſtori generali fideliſſimo, per affinitatem Patruo.

Curatoribus Integerrimis, Fideliſſimisque, Parentum loco ad ultimum halitum usque omni honore & obſequio colendis.

NECNON

*Spectatiſſimo, Graviſſimoque Viro*

# D. WILHELMO VANDER BURCH,

Civitatis Delfenſis Senatori, Patruo magno, dum ſpirat ſumma pietate colendo.

UT ET

*Celeberrimis, Clariſſimis & conſummatæ Eruditionis gloria Conſpicuis Viris,*

**D. BERNHARDO ALBINO,**

Phil. & Med. Doctor. in Celeberrima Batavorum Univerſitate Theoriæ & Praxeos Medicæ Profeſſori digniſſimo &c. &c.

**D. HERMANNO BOER-HAAVE,**

Phil. & Med. Doct. Hujuſque Facultatis Prælectori Eruditiſſimo.

Præceptoribus Fideliſſimis, ſtudiorum ſuorum Fundatoribus, Promotoribus, dum cruor per venas volvitur ſummo in honore habendis.

*Hanc Diſſertationem Inauguralem, ſeque totum ea, qua par eſt, reverentia*

Sacrat

Abraham van Bleiswyk, C. F.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

quâ

# In Praxi Felicitas Mechanicorum vindicatur.

*Vulgatiſſimum illud & iniquum, ne dicam deteſtabile convitium, quod tamen plurimis, qui Eruditorum titulo, in paterna præſertim urbe, decorantur, haud admodum diſplicet,* Nullum Mechanicum felicem eſſe Practicum, *pro virili parte refutare jam mihi propoſui: Rem ſane aggredior ſupra teneram ætatem, admodum exiguam Mechanicarum artium peritiam, ſatiſque debile ingenii mei acumen, longe poſitam, &, ob imperitorum obtrectationes, haud parum invidioſam; ſed quum legibus Academicis mihi impoſita fuerit Diſſertationis conſcribendæ neceſſitas, ſummus Mechanices in Medicina uſus me vel invitum, tantoque oneri imparem, impulit, ut de hoc potiſſimum agerem argumento, calumniamque tam*

*nobili arti inſtructam pro viribus retunderem! quod dum ego meditor ſequentia probare enitar.* 1°. *Conſtantem in Praxi Felicitatem non poſſe obtineri ignoratâ Theoriâ.* 2°. *Theoriam ex principiis Mechanicis deductam eſſe ſolam, quæ fidem mereatur.* 3°. *Ut a poſteriori demonſtrem, Praxin ratiocinio Mechanico innixam ſolam eſſe certam & felicem, in morbis Chronicis pro exemplo ex Veterum ſcriptis ſumam Bilis Atræ hiſtoriam, quam pro inani Veterum figmento habuerunt plurimi Neoterici, ob ignoratam ejus veram Aitiologiam, quam rite explanare ſoli fere potuere Mechanici.* 4°. *A priori Febris Ardentis exemplo oſtendam Ardentium cauſam proximam a Mechanicis detectam, expoſitamque exacte congruere cum omnibus effectibus, quos de iis recenſuere Veteres (quibus quanta in Praxi fides ſit habenda, abunde expoſuit in Orat. de ſtudio Hippocr.* Cl. Boerhaave, *ſummus Mechanicus, ſummus Practicus, cui lubens profiteor me tantum debere, quantum homo homini debere poteſt). En habes B. L. brevem meæ Diſſertationis delineationem; interim ſi minus digne tam nobile argumentum pertractaverim, ne Cauſæ, quam defendo, ſed tantum non jam naſcentis ingenii tenuitati id imputes, quæſo, primoſque meos conatus æqui bonique conſulas: ſi vero nimis audacter in quoſdam invehi tibi videar, ne proterviæ vel invidiæ, ſed juvenili ardori id adſcribas, cupio, & condones obſecro; per omnia enim ſacra jurare auſim, ad hanc Diſſertationem conſcribendam me nullo partium ſtudio tractum, ſed ſolo veritatis amore allectum fuiſſe.*

DIS-

304

## Caput primum

### *Quod nulla abſque Theoria felix Praxis.*

Th. I. Praxis Medica eſt morborum detectio, ſeu cognitio, & ſanatio.

II. Morbus eſt omnis corporis humani viventis conſtitutio, quæ neceſſario lædit actionem vitalem, naturalem, animalemve.

III. Qui ergo actionum vitalium, naturalium atque animalium exercendarum requiſita ignorat, adeoque vitæ cauſas neſcit, & ſanitatis, ille defectum illarum i. e. morbos (2) cognoſcere non poterit.

IV. Morbus (2) omnis ſupponit vitam, quum, hæc ſi deſit, finis omnium adeſt; quumque ſit conſtitutio corporis, & nullum corpus per ſe mutetur, agnoſcit cauſam; & alia quum ſit conſtitutio corporis quam ſana, alios editura eſt effectus, hi dicuntur ſymptomata: omnis ergo morbus ſupponit vitam, cauſam, & ſymptomata. nulli ergo morbi cognitio, qui hæc ignorat.

V. Sanatio eſt morbi in ſanitatem converſio; hæc ergo lege verae doctrinae nulla, niſi morbo & ſanitate cognitis.

VI. Hæc (5) converſio, impoſſibile eſt, ut fiat, niſi quorundam inſtrumentorum applicatione: nulli igitur ſanatio (5) niſi ei, qui hæc novit.

VII. Verum hæc (6) inſtrumenta diverſiſſima & ſibi mutuo contraria ſunt; inquirendæ ergo ſunt hæ vel illæ indicantes Regulæ, quæ ex omnibus in morbo, vel ægro, vel circa eum tam præteritis, quam præſentibus, futuris, & præſcia mente futuri effectus, petuntur. Ergo morbum dictâ lege (5) ſanabit nullus, niſi has regulas, futurosque ſinguli inſtrumenti (6) effectus cognoverit.

Corallar. Qui ergo hæc (2, 4, 7.) omnia omnium optime novit, erit in praxi medica feliciſſimus.

VIII. Hæc verò docent Inſtitutiones Medicæ, ſeu Theoria Medica: ergo qui has optime intelligit, ſummam in Praxi obtinebit felicitatem.

IX. Morbi cauſæ proximæ ſublatio eſt, morbi ſanatio: hæc fit (α) Obſervatione, (β) Analogia, (γ) vel Ratiocinio ex hiſce binis.

X. (α) Obſervatio habetur 1° ex accurata morbi hiſtoria, enarrante

cauſas, naturam, effectusque mali; 2°. ex iis, quæ proſunt, vel nocent, dum quovis modo ægro ſubminiſtrata ſunt; 3°. ex inciſis ab obſervato (1°. huj.) morbo mortuis.

XI. (β) Analogia utitur, qui obſervatis (10) jam, adeoque cognitis, caſum præſentem, hactenus ignotum, comparans, de indole & curatione mali incogniti argumentatur.

XII. (γ) Ratiocinium is adhibet, qui omnia, quæ ægro accidunt, obſervando (10) cognita, ad amuſſim ſeorſim ſingula ponderat, comparat dein inter ſe univerſa, confert iis, quæ in ſanitate contingunt, hincque tandem ſeveritate ratiocinii aſſurgit in intellectum Cauſæ proximæ, & auxiliorum ei tollendæ. Is ſolus verum Medici nomen meretur. Ergo is iterum nullus ſine Theoriæ cognitione.

XIII. Sunt tamen quidam Empeiriae adeo dediti, ut omnem morborum & ſanitatis cognitionem in Praxi inutilem eſſe autument, ſemper de univerſalibus & Panaceis glorientur; ſed his in Praxi conſtantem felicitatem non fuiſſe à poſteriori ubertim patuit, plurimis enim mortem, paucioribus ſanitatem conciliarunt, magna & mira jactabant, vulgaria ſaltem præſtabant, teſtantibus Paracelſi, hujus ſectæ principis, coævis Oporino, & Cratone à Craftheim; magnam tamen ille in Praxi acquiſivit famam, fere primus Opium & Mercurium Medicamenta, ſi ulla, maxime univerſalia, in uſum trahendo: ut taceam horum Panaceas tale nomen non meruiſſe, quippe requiſitis neceſſariis in Inſtitut. §. 924. Clar. Boerhavi nunquam ſine reverentia mihi nominandi allatis, carebant.

XIV. Sunt & alii ſummi in arte Viri, qui omni ratiocinio, tanquam rebus abſconditis indagandis minus apto, & nimis incerto, ſpreto, ſola obſervatione (10) Praxin feliciſſimam inſtituere tentant; ſed ſane hi Clar. Viri aut videntur morbi ſaltem ſpectatores, non Medici; aut, ſi obſervata alteri applicent morbo cognito, jam rationales ſunt Practici; de Ratiocinii fallacia non eſt, quod multum querantur, quum certis datis ſuperſtructum, & debito (10) modo deductum, nunquam fallax eſſe poſſit; nil enim tum eſt, quam ipſorum datorum explanatio; his itaque certis, & illa certa eſſe debet; verum quidem eſt ſæpe data certa deficere, ſed ob id Praxis Medica nondum perfecta eſt.

XV. Alii non minus Clari plurimos morbos quid ſpecifici, ſola obſervatione cognoſcendi, & curandi, habere ſtatuunt, uti Magnus Sydenhamus, ſine honorifica præfatione haud memorandus, in exemplo de Carduorum familia probare conatur, qui licet ſint quidem

omnes

omnes Cardui, ſingulus tamen quid ſingulare habet; ſi Tanti Viri ratiocinio quid addere liceret, hoc ſuum exemplum in Oenantharum familia luculentius adhuc apparere dicerem, quippe plurimæ ſunt culinariæ, una tamen venenata; ſed ſumma cum reverentia, meæ audaciæ petita venia, Magno Sydenhamo regero, an non plurimi toto cœlo, externo adſpectu, inter ſe differentes morbi ab eadem in corpore cauſa oriri poſſint, ſed pro cauſæ vario gradu, varia functione partis, quam occupant, læſa, varii apparere queant? ſi dubitet, attendat quæſo ad Epidemicorum accuratiſſimas ſuas obſervationes, facile omnes ortos ab eadem in corpore cauſa, ſed varia magnitudinis gradu, omnesque unica fere hac aurea, ſolo ratiocinio (10) detecta, obſervata Regula, *motum lentori ſolvendo ineptum augere, nimis auctum ſedare*, curatos animadverſurus eſt, hinc toties diætam calidiorem, cardiaca &c. profuiſſe, pluries V. S. Clysmata, Anodyna &c. obſervavit; imo omnes viscerum inflammationes nonne ab eadem oriuntur cauſa, eadem cura curantur? nil ergo ſpecifici habent, nulla ſunt entia ſingularia, ſed Ratiocinio (10) detegi & curari poſſunt: non tamen omnino negandum puto quosdam dari morbos quoad cauſam & curam ſingulares, uti variolæ, & febres malignæ &c. ſed maxime tamen dubito an non hæ juxta datam regulam curari poſſint, hanc vero ſolum detexit Ratiocinium (10,) patet ergo in Praxi ſummus ejus uſus.

XVI. Analogiâ ſolâ qui nititur, quam incertam colit Praxin? quum ne quidem duo caſus ſibi plane ſimiles appareant; quot igitur dubia? quantæ vacillationes huic quotidie animum perturbant? plurimos morbos eandem cauſam & curam agnoſcere, ſed varia habere ſymptomata jam faſſus ſum, quæ ille, qui Analogia utitur tanquam tot diſtincta ſigna conſiderat, adeoque morbum haud cognoſcit, nec ſanabit (5.)

Corrollar. 1. Praxis ergo ſine cognita Theoria felix eſſe nequit. (1.)

Corollar. 2. Ergo quo Theoria magis certa, eo Praxis felicior.

XVII. Hanc (16. Cor. 2.) omnium certiſſimam poſſidet Mechanicus dictus Medicus; quod ſequenti capite probandum.

## Caput Secundum.

### *Theoria Mechanica eſt certiſſima.*

Th. I. Qui corporum vires ex mole, figura, & velocitate, vel aſſumtis, vel obſervatione deprehenſis, calculo æſtimat Geometrico, Mechanicum voco.

II. Theoria Medica Mechanica ergo erit omnium in vivis, ſanis, ægrotis & mortuis Phænomenων explicatio juxta tres (1. Cap. 2.) Corporis noſtri proprietates.

III. Corpus humanum omnibus generalibus corporum dotibus inſtructum eſſe, omnes conſentiunt.

IV. Corporis generales proprietates inquirere & demonſtrare Mathematicos, nemo negat.

Coroll. ergo generales corporis humani proprietates inquirit, demonſtratque Mathematicus.

V. Singulares corporum proprietates, eorumque differentias nemini notas, niſi ei, qui cujuscunque corporis ſenſibus obſervandos effectus perſpexit, res ipſa clamat.

VI, Ergo quicunque ex his (3. 5.) ipſis prius bene perſpectis, ſevero ratiocinio ſequelas claras individuas elicit, certam abscondita indagandi Methodum poſſidet; hanc ſervat Mechanicus.

VII. Corpus humanum ſolidis & fluidis conſtare, omnibus in confeſſo eſt.

VIII. Solida eſſe vaſa liquidum coercentia, vel inſtrumenta mechanica determinatos motus a data mole, figura, ſoliditate & nexu partium inter ſe, peragentia; Anatomia, ſtatusque morboſus, quippe, horum uno læſo, perit motus, docent.

Coroll. 1. Ergo humanum corpus verum eſt, quale ſpeculantur Mechanici: Si tamen quis hæreat, breviter quæſo mecum corporis noſtri fabricam contempletur: Arteria nonne eſt Canalis conicus, elaſticus, inflexus, ſpiralis ſæpe, diviſus in ſimiles minores eodem trunco ortos ramos, tandem minimos ſibi mutuo varie inoſculantes retis adinſtar cylindricos? quid Vena? nonne minima arteria cylindrica ex dicto rete orta, cujus cavitas mox ab infuſo undique per laterales venoſas & lymphaticas fiſtulas liquore ſenſim augetur, adeoque conus reſpectu arteriæ inverſus. Quid Vas lymphaticum? niſi ex eodem rete ortus tubus cylindricus vel conicus, adeo arctus, ut rubras ſanguinis particulas capere nequeat, qui ab arteria ſanguinea ortus ob exilem pelluciditatem inviſibilis, iterum omnis arteriæ proprietates habet: cujus dein ultimi fines iterum in ſuas venulas lymphaticas exeunt cylindricas, mox accepto liquore creſcentes, ut viſibiles factæ vaſa lymphatica viſibilia conſtituant, unde tale vas ſenſim increſcens & terminans in vas lymphaticum conſpicuum, ab officii & figuræ ſimilitudine rite venoſum dictum? quid Glandula? nonne arteriæ, venæ, lymphæductus plano membrana-

ceo, fibroſo, elaſtico, nervis intertexto, applicata & in glomerem convoluta, relicto cavo intermedio, ex quo iterum vaſcula oriuntur minora excretoria dicta; his ſi addantur varia arteriæ a corde longitudo, varius ejus ſitus, varia complicatio, varia velocitas, varia rami ad truncum proportio, varia vis premens, varia mora in cavo Glandularum, facile variæ illæ liquidorum in Machina noſtra Secretiones explicantur, non ex vario fermento, vel cribrorum figura petendæ, demonſtrantibus Bellini & Pitcarnio. quid Nervus? niſi congeries minimorum ex cavo Glandularum Cerebri ortorum tubulorum, membranis ſuis involuta. Hæc vero nonne totum fere humanum efformant corpus, ubique ſane vaſculoſum, ubique glandoſum; totum ergo fere humanum corpus ex Canalibus, Cribris, Planis inclinatis conſtat, adeoque totidem inſtrumentis Mechanicis: ulterius ſi pergamus, primo in ore Machina compoſita apparet molendina, inſtrumentis incidentibus, dilacerantibus, conterentibus inſtructa, ſiniſtrorſum, dextrorſum, antrorſum, retrorſum & in gyrum per moventes potentias ubique applicatas, movenda; Ventriculus nonne ſaccus membranaceus, fibris ſpiralibus, & longitudinalibus elaſticis præditus, duobus orificiis altero perpendiculari ipſi impoſito magis reſiſtenti, altero Planum inclinatum minus reſiſtens referente, contenta ſua premens, atterens, comminuens, & tandem fluida expellens in Canalem cylindricum, elaſticum, ſpiralibus & longitudinalibus fibris itidem ornatum, valvuloſum, contenta propellens, arctans, & ſimul liquidiſſimis, ſolidiſſimis & mobiliſſimis particulis viam concedens, in Vaſcula tenera, pellucida, valvulis ornata, varie retis in modum ſibi mutuo inoſculantia, per Labrum penſile, tenerum, flexile, facillime cedens, omnem proinde acceptum motum facile communicans, currentia, liquidum ſuum contentum atterentia, miſcentia, tandem in unum cylindricum Ductum terminantia? nonne Cor cum annexis perfectiſſimum eſt Prælum, vel, ſi mavis, Sypho, fortiſſima vi ob fibras ſuas Helicem formantes donatus? nonne Pulmo perfectiſſimus Follis? nonne tota ſtructura Thoracis Fornix per coſtas, quaſi totidem arcus vel trabes ſuffulta? ſenſuum Organa ſi advertamus, ſane ea eſſe plane Mechanica, ubertim ſua arte ea imitantes teſtantur Mechanici Artifices; nonne Oſſa totidem Fulcimenta, & Vectes; Oſſa ſeſamoidea, Apophyſes plurimæ nonne totidem Trochleæ; ſed ſingula quid referam? nil non Mechanice in corpore humano videmus, ſunt ergo Præla, Folles, Trabes, Vectes, Trochleæ, Fulcimenta, Funes &c.

Coroll. 2. Ergo juxta Mechanicorum leges (1) explicandum eſt humanum corpus.

IX. Fluidum (7) voco congeriem corpuſculorum minimorum ſenſus noſtros ſubterfugientium, per motum facilius ſeparabilium, quam ſimul verſus idem punctum mobilium.

Corroll. 1. Ergo in ſe ſpectatum ſingulum corpuſculum non agit niſi determinata mole, figuraque experimentis Hydroſtaticis, Chemiciſque deprehenſa.

Coroll. 2. Ergo effectus ſinguli corpuſculi Mechanico (1) demonſtrantur, quamvis ex datorum defectu plurima hic illum lateant.

X. Totius fluidi maſſæ ſunt proprietates generales omnium liquidorum, gravitas nempe & fluor.

XI. Virtus vero Elaſtica, ponderis, ſpiſſitudinis, fluiditatis, nixuſque in contactum varii, momentum impetus, quo fertur, & motus directio præcipuæ ſunt proprietates diſtinguentes unum ab alio fluidum.

XII. Has (10, 11) docent Hydroſtaticæ, Hydraulicæ leges: Ergo iterum Mechanicis ſubjectæ ſunt.

XIII. Hæc liquida (9, 10, 11) in nobis intra vaſa (8) continentur, movenrur, in motu determinantur, miſcentur, ſeparantur, mutantur tum illa vaſa (8) cum annexis ſuis inſtrumentis (8) Mechanicis movent, horum parietes deterunt, mutant, detrita reſtituunt. Docent Anatomia, ligaturæ, experimenta in Vivis varia, obſervationes Medicæ, autopſia, microſcopia imprimis Malpichii, & Oculatiſſimi A. Leuwenhoukii paternæ civitatis meæ Ornamenti haud ignobilis, ob ſingularem erga me comitatem plurimum venerandi amici.

Coroll. 1. Ergo fluidorum actiones juxta leges Hydroſtaticas, Hygrometricas, Hydraulicas, & Mechanicas excercentur.

Coroll. 2. Ergo juxta has (1. Corol. hujus §. 1.) explicandæ.

XIV. Cuncta hæc (13) dependent ab eorum motu projectili in orbem; hoc enim ceſſante omnia illa ceſſant. Patet infinitis experimentis Louweri, Glyſſonii, in hominibus, in avibus hyeme languentibus ſolo reſtituto projectili motu reviviſcentibus; Hokii, qui deſtructo thorace animalis inflatis, per follem Laryngi applicatum, Pulmonibus pro tempore reviviſcere fecit &c.

XV. Hujus (14) motus effectus ſolis Hydraulicis & Pneumaticis rite noti ſunt.

Coroll. Ergo cuncta liquidorum effecta Mechanico rite explicantur. Ergo illi perfectiſſima Theoria.

XVI. Ex his omnibus hactenus allatis, Mechanicos Myſochemi-

corum

corum nomen non mereri patet; quippe qui corporum molem, figuram, & velocitatem deprehenſam obſervatione, ex quacunque etiam arte ſit, conſiderant; ſine Chemiæ auxilio nullus Theoriam Mechanice tractare valet, illa enim nota corpora pro objecto agnoſcit, notum excitat motum, notoſque edit effectus, ſic ſanguinis & omnium liquidorum principia conſtituentia, eorumque mutationes, ſolidorum ultimorum immutabilitatem, horum omnium ſtatus diverſi ſigna ex urinæ Analyſi Chemica, alimentorum & potulentorum naturam, ubi conveniunt ubi nocent, medicamenta plurima, docet: ſed ubique terminis circumſcripta eſt, non enim ejus producta in corporibus talia præextitiſſe credendum eſt, hinc non niſi cum limitatione de iis ratiocinandum; tum enim Clariſſimi Chemici non alios quam Mechanicos agunt, data nimirum obſervant, examinant, perſpiciunt, ex his ſevero ratiocinio convenientes machinæ noſtræ proprietatibus ſequelas deducunt; ſolum ergo quod in multis Chemicis damnandum cenſet Mechanicus, eſt, quod vel (α) ſua experimenta promiſcue nulla habita corporis noſtri fabricæ ratione, noſtræ OEconomiæ applicent, exque iis ratiocinentur, ſic enim illa non minus falſa & in praxi perniciosa, quam celebris de Acido & Alcali Hypotheſis huic tantum errori ortum debet, vel [β] titulis ipſis & omnibus haud intelligibilibus actiones corporum explicent.

XVII. Theoriæ Mechanicæ antequam fidem aliquam præbent, ſummi in arte Viri quærunt 1° *an Mechanicus noverit partem ſolidam ejuſque functionem Naturalem cum omnibus ſuis accidentiis in ſanitatis ſtatu perfecto:* Reſpondeo debita cum reverentia illos precando, ut Mechanicorum libros inſpicere haud dedignentur; quot problemata nondum præ datorum defectu ſoluta non invenient? quoties particulas dubitandi, *forte, videtur* &c. non legent? non enim adeo vanus Mechanicus habendus, ut Machinæ humanæ exactiſſimam cognitionem poſſidere jactaret; ſed ſuam Methodum ſolam ad Delubra viam aſſerit, omniaque ipſi rite demonſtrata, tanquam vera, ſemper vera futura, manſura, dum juſti ſupererunt judices.

2° Aſſerunt corpus noſtrum pro ſingula ætate variari, adeoque concludunt ratiocinium Mechanicum æque mutabile eſſe, ac ejus objectum; ſed ſane licet mutabile ſit, non tamen verum eſſe deſinit, nec ex Mechanici (1) data definitione ſequitur hunc ſemper molem, figuram, velocitatem, eandem agnoſcere, ſed prout obſervatione reperiuntur, probe enim fœtus ab adulti fabrica, hujus a ſenis differre novit, diverſasque inde deducit ſequelas, æque tamen veras.

Quæ-

3$^{to}$. *Quærunt. ut fluidi moles & velocitas Mechanice & Geometrice pateant liquide Medico illas intuenti externe* &c. Reſpondeo, hæc clara unicuique apparitura, quantum datorum veritas permittit, modo Mechanicorum viam iis indagandis ingrediatur.

4$^{to}$. *Ut actionum eventus tanquam ultimos rerum terminos pernoscat, & præſciat, quibus frena vel limitationes certas imponere poſſit* &c. Regero, quis, actionum eventus melius noſcit, quam is, cui actionum natura optime nota eſt, quis ille? ſolus Mechanicus; quod vero in Mechanico hi ſummi Viri exactiſſimam actionum ſcientiam deſiderant, iniquum videtur, quum omnia pernoſcere nunquam ſe jactat Mechanicus, uti jam ad primam quæſtionem reſpondi.

5$^{to}$. *Ut Remediorum acceſſus & opera noſcat in omni ſubjecto humano ejusdem efficaciæ & operationis futura.* Reſpondeo, me ignorare in Medicina quæri quod in omnibus ſubjectis ejusdem efficaciæ Remedia eſſe debeant, ſed ſcire, quod effectuum Remediorum huic vel illi ſubjecto applicatorum differentia prænoſcenda ſit, & ſane quis illam melius novit? quam qui ex ſinguli ſubjecti proprietatibus cum Remediorum dotibus notis comparatis actiones ſecuturas concludit, quis ille? ſolus nonne Mechanicus? is enim præſcit, ſubjecto cuidam, laxioribus v. g. Renibus quam aliis partibus donato, idem applicatum Medicamentum urinas promoturum; alteri, cui Cutis cæteris laxior, ſudores; alteri, cujus Inteſtinorum glandulæ minus cæteris reſiſtunt, alvum ſoluturum; imo is iidem eodem dato Medicamento varios producere novit effectus, v. g. hoc ſolo ſuo ratiocinio, quod *liquida maxime eo fluant, ubi minor datur reſiſtentia*, jam alvum laxabit, jam ſudores, jam urinam expellet quocunque ſale duplicato dato, modo jam ægrum aëri frigidiuſculo exponat, jam ſtragulis tegat, jam Renibus fomenta applicet &c.

6$^{to}$. *Ut denique cauſas actionum Medicarum ex aſſumtorum remediodiorum figura &c. Geometrico calculo demonſtret, rationesque variationis, & declinationis earum in diverſiſſimis hominibus tradat.*

Regero, illud omnium optime (non tamen perfecte in omnibus, uti jam ſæpius inculcavi) Mechanicum exſequi, nonne enim ille v. g. ex Mercurii gravitate, mobilitate, diviſibilitate deprehenſis cum Sanguinis fluore, & gravitate comparatis juxta calculum Geometricum certo effectum futurum, ſique huic Mercurio in noto humano ſubjecto occurrant acria, multo validiorem ſecuturam ſolutionem, prænoscit? nonne ille ex Salium figura, gravitate & rigiditate, cum ſubjecti fibrarum laxitate vel rigiditate. liquidorumque motu projectili aucto vel imminuto comparatis,

309.

paratis, validiores vel debiliores orituras actiones prævidet?

XVIII. Tandem ut hujus Capitis agmen claudam, liceat tantos Viros interrogare, num quid aliud de corpore quocunque clare percipiant, quam ejus molem, figuram, ſoliditatem, nexumque cum aliis corporibus? an corpus illud in actum deductum i. e. motum alia ratione agere autument, quam juxta datas proprietates? an non igitur is omnium optime corporum actiones intellecturus ſit, qui eas proprietates omnium exactiſſime novit? & quis ille? niſi qui calculo Geometrico eas æſtimat, ſolus ergo Mechanicus. Sed hic deſiſto, quum plurimi in arte Viri in Ratiocinio jam victas Mechanicis præbeant manus, in Praxi vero pertinaciter ſibi palmam vindicent; quo jure? videndum eſt ſequentibus Capitibus.

## Caput tertium

### *De Atra Bile.*

Th. I. Materiæ dignitas, ſententiæ Veterum ubique ſparſæ, earumque diverſa interpretatio paulo altiorem deductionem exigunt, quem in finem quædam loca ex Veterum monumentis, tanquam data, proponenda ſunt; Aretæus in Chronic. Lib. I. Cap. V. *in tardis longisque morbis, ſi ad alvum Bilis Atra decurrit, in tormina & jecoris dolorem finitur.*

Idem ibidem, *nam etſi craſſus, & bilioſus, & concretus, & ater, qualis amurca ſanguis eſt, nihilominus ipſe Naturæ prædium, atque alimentum eſt.* Hippocrat. in Epid. Lib. VI. *Atra Bilis eſt ſimilis Hæmorrhois.* Aëtius Tetrabib. II. Serm. I. XLVI. *non autem ſimpliciter, (ſcil. lethale eſt) ſi quid nigrum excernitur, nam etiam hoc Atra Bilis eſt, poteſt enim & Sanguis è propriis locis excidens, & tempore aliquo manens frigefactus in grumos congelari.* Idem Cap. IX. Tetrabib. II. Serm. II. *Generatur Atra Bilis à caliditate indigena multa, aut flavam bilem aut craſſiorem & atriorem ſanguinem adaſſante.*

Actuar. de affectibus ſangn. *Melancholia oritur, aut ab immutato ſanguine, aut ab exquiſita Atra Bile, aut à flava bile.*

Duretus in Coac. 206; *Sanguis & foex ſanguinis, Melancholicus humor non eſt Bilis Atra, nec habet ejus characteres, acris, erodentis, terram fermentantis, & acidæ.*

II. Atram Bilem præternaturalem Veteribus triplicem fuiſſe ex locis (§. 1. Cap. 3.) abunde conſtat, nimirum aut 1o. ab immutato ſanguine, aut 2o. a Melancholia, aut 3o. à flava bile; quæ juxta illos differebat pro varia ſua materia originali; putabant enim ſanguinem tanquam in ſtatu naturali blandiorem, Melancholicum humorem tanquam craſſiorem, bilem flavam tanquam acerrimam, ſi mutentur in ſtatum p. n. etiam minorem vel majorem malignitatem i. e. abalienationem à ſtatu n. induere; verum cum Melancholicus humor in ſano homine nullus eſt, Veterum experientia & ratiocinio fretus vocabo primam ſpeciem ſanguinem craſſiorem, ſola in corpore ſtagnatione vel minori motu circulatorio nigrum redditum, cum acri quovis inviſcatum; 2dam ſpeciem eundem ſanguinem, ſed magis accumulatum, viſcidum & plus acredinis in ſe gerentem; tertia ſpecies an revera ex bile flava oriatur, dubium mihi eſt, quin potius videantur Veteres decepti à loco quem occupat ſæpe, & per quem excernitur, Hepar puta & ductum choledochum; mihi lubentius erit eadem illa Bilis Atra Dureto (1.) deſcripta, ſola hac cum diſtinctione, quod non ſemper ſit acida, ſed cujusvis acredinis, ipſi enim Veteres aceto in cura uſi ſunt.

III. Cauſæ ſunt 1o. Aer calidus & ſiccus (1) mobiliora diſſipans, lentiora aggregans, hinc aquea, ſalina volatilia, ſpirituoſa minuens, ſalina fixa, olea craſſa, acria exuſta, terrea fixa augens. Aer frigidus Hipp. Aphoriſm. ſect. 3. aph. 14. liquida coagulans. 2. Æginet. lib. 3. Cap. 14. *Bubula, cervina, lentes, braſſicæ, cochleæ, vina craſſa & nigra*, quatenus vel chilum non facile aſſimilandum præbent, vel liquida noſtra coagulant, & vaſa conſtringunt, uti cibi terreſtres, acerbi, adſtringentes, viſcoſa aſſumta ex farinoſis non fermentatis vel gelatinoſis animalium, quæ copioſâ lymphâ diluta vaſa lactea transmeare quidem poſſunt, ſed in minimis capillaribus vaſis per vaſcula lateralia ſuo diluente liquido orba, ob flexibilitatem ſuarum particularum coeunt, & gluten faciunt. Omnia acria aſſumpta, quæ quamvis innumera eſſe poſſunt, tamen facile rediguntur ad ſalina, acida, oleoſa, aromatica ex oleo acri & ſale unitis utplurimum conſtantia, acria ſpirituoſa fermentata.

3o. Exercitia nimia augendo ſanguinis motum, hinc ſecretiones, hinc liquidiſſimorum expulſionem, & craſſiorum aggregationem; vita ſedentaria.

4to. Somnus nimius, vigiliæ nimiæ.

5to. Animi Pathemata tam triſtia, quam læta, modo immodica,

qua-

quatenus illa ſanguinis circulum ſiſtunt, hæc nimis eum augendo liquidiſſima expellunt. Hipp. Aphor. 23. ſect. 6. *metus & triſtitia perſeverans* &c. Studia nimis acriter exercita liquida nervoſa diſſipando, figendo reſpirationem lædentia, quæ quum requiratur ad circulum liquidorum per Abdomen facilem reddendum, læſa obſtructiones facit.

6. Excretiones nimiæ cujuscunque generis, quibus liquidiſſima expelluntur, craſſa retinentur, ſicque aſſimilatio aſſumtorum læditur.

Excretiones ſolitæ retentæ, quamvis utplurimum effectus præcedentis liquidi viſciditatis ſunt, etiam eam conciliant, plethoram inducendo, hinc vaſa ultra elaſticitatem extendendo, hincque ſolidorum actionem in liquida minuendo, a qua ſola cum ſanguinis dependeat fluiditas, illa imminuta producet viſciditatem.

IV. Cauſæ (3) rite perſpectæ, earumque effectus cum corporis noſtri fabrica comparati, juxtaque veram ratiocinandi methodum conclusiones factæ, docebunt cauſam proximam eſſe primam Atræ Bilis ſpeciem (2).

V. Hæc materies (2. 4.) in ſanguine hærens lege circulationis nullibi magis deponetur, quam circa Abdominalia viſcera; ut veritas hujus aſſerti pateat, aſſumo 1°. Sanguinem hunc viſcidum (2. 4.) ex particulis ſibi mutuo arctius ſolito cohærentibus, adeoque non amplius ſphæricis ſed potius ellipticis (quæ figura cum minorem molem ratione ſuperficiei comprehendat, motui ſphæricâ figurâ ineptior eſt) conſtantem, plus naturali ſanguine motui reſiſtere. 2°. acria huic ſanguini juncta per ſe quidem gravia & ſolida, proinde motui aptiora, quum irretita ſint particulis ſanguineis (1. poſt.) ſimul ad motum ineptiora fieri. His poſitis ex Phyſicis & Hydroſtaticis tanquam demonſtratum aſſumo, quod ſi corpora varia, ſeu liquidum ex partibus variis, majoris vel minoris ſuperficiei ratione molis, ſeu magis & minus mobilibus conſtans, projiciatur per canales, non feretur eadem directione nec velocitate, ſed mobiliſſima diutius motum retinebunt, & lineâ rectâ movebuntur, minus mobilia citius motum amittent, & a linea recta deflectent; Ergo ſanguinis ex ſiniſtro Corde pulſi pars mobilior ad ſuperiora, tanquam per lineam fere rectam fluet, viſcidior vero ad latera deflectens Aortam deſcendentem (uti vulgo dicitur) intrabit; hujus pariter partes motui ineptæ in lateralia primo occurrentia & minus reſiſtentia pellentur, ergo in arterias Cœliacas & Meſentericas omnibus fere Abdominis viſceribus proſpicientes, ibique ad harum extremitates pulſæ hærebunt, idque (α) ob continuam ſecretionem liquidioris partis, & (β) ob au-

ctam reſiſtentiam in venis, cum ſanguis hic bis venoſus fiat, adeoque tardior moveatur, hinc ergo infarctus & obſtructiones horum viſcerum fiunt, quæ cum in Hypochondriis hæreant, hunc morbum Malum Hypochondriacum vocavere tam Veteres, quam Recentiores. vid. Boneti ſepulchret. lib. 1. Sect. 9. totam.

VI. Huic (5) ratiocinio non contrariantur aliorum de ſede hujus mali Hypotheſes; Fernelius & Sylvius hanc Pancreas ſtatuunt, Chemici quidam Glandulas Meſenterii pro ea agnoſcunt, quæ variæ ſententiæ ortæ ſunt, prout hi inciderint in Cadaver Meſenterium affectum præbens, illi in tale ubi Pancreas ſedes mali erat; hærere enim poteſt in omnibus abdominis viſceribus ramos ſuos Arterioſos a Coeliacis & Meſentericis accipientibus, in quibus ubique eædem obſtructionis (5) cauſæ, excepto Hepate quoad Arteriam; frequentius tamen, adſtipulante Veterum & Boneti in ſepulchret. experientia, obſervatur in ſiniſtris Hypochondriis, præprimis in Liene, cujus ratio ex Arteriarum proportione facile datur, ramus enim Coeliacus dextro major eſt, hinc minor in eo reſiſtentia, hinc ſanguis minus mobilis (4. 5.) eum intrat, hinc obſtructio ſiniſtrum Hypochondrium primo invadit, præprimis vero Lienem occupat, quia Coeliaci ſiniſtri primus & capaciſſimus eſt ramus Splenicus, ergo eadem ſequitur conſequentia, ſi vero ramus ille oriatur ab Aorta, hæc ratio non obtinet, unde forte ratio peti poteſt, quare non ſemper malum prius in Liene apparet.

VII. Sed Ratiocinio (5. 6.) objicietur forſan ab Anatomico, cur ſanguis (2. 4.) ad latera (5.) deturbatus non tranſit in Intercoſtales Arterias a latere Aortæ ortas? ℞. & hoc fit quodammodo, at vi reſpirationis emendatur, unoque mox tranſitu redit; & tamen quia major eſt reſiſtentia in ramis per angulos rectos a trunco ortis, quam obtuſos, demonſtrantibus Hydroſtaticis, quod prius cum obtineat in intercoſtalibus, poſterius vero in Coeliacis, patet ratio; adde inſuper rami variam proportionem ad truncum, quo enim illa major eſt, eo reſiſtentia minor.

VIII. Hæc materies (2. 4.) in Hypochondriis hærens, (nam ſi totus ſanguis eſt uti (2, 4.) tum rectius dicitur Scorbutus, de quo mihi ſermo hic non eſt) producit varia ſymptomata ſua mole obſtruendo, vel ſua acrimonia ſtimulando nervos, hinc dicit Aëtius Tetrabib. II. ſerm. II. Capt. X. *ventres plerumque illis ſicci ſunt*, (ob ſecretionem liquidi diluentis in Inteſtinis impeditam) *ſomni parvi, divulſi, inſomnia turbulenta & peregrina, vibrationes corporis aliæ alias, vertigines capitis,*

&

*& flatuum ſonitus circa aures, deliria varia & non facile enumerabilia*; (a ſpaſmis continuo in Cerebro varias diſpoſitiones tanquam a rebus externis vel naturali cauſa ortas excitantibus, unde menti repreſentantur varia objecta, hinc variæ in illa oriuntur Ideæ) *unum vero ipſis omnibus commune eſt timor ſcil. & triſtitia*, (quoniam ubi hæ animi paſſiones adſunt, ſemper Circulus ſanguinis minuitur, quumque ab illo mutato mutantur animi pathemata, motu circulatorio imminuto, fiet triſtitia & timor, hic imminuitur in his, ergo ejus ſequela adeſſe debet) obſervatur inſuper in iis appetitus utplurimum ſatis vegetus, ab acredine lymphæ gaſtricæ, vel & ejus quandoque aucta ſecretione, & aucto fibrarum robore a majori influxu ſanguinis; flatus & borborygmi ſunt fere ſignum Pathognomicum ab ſpaſmis orti; ſitis non tanta, imo ſæpe os continuo ſaliva madet, hinc vulgare dicitur *Melancholici ſunt ſputatores* quia nempe Pancreate & omnibus Abdominalibus Glandulis obſtructis major determinatio liquidorum ad Glandulas ſalivales idem liquidum ſecernentes fit; Urina tenuis, & alba, copioſa, ob conſtricta ſpaſmo vaſcula renalia, copioſa vero ob majorem liquidorum determinationem ad Renes, obſtructis inferioribus. Aëtius Terrab. 3. ſ. 3. *Urinæ vero in principio tenues iis ſunt, & aquoſæ, poſtea verum, quum ſecundum naturam, atriores, & modice craſſæ, & quod ſubſidet, aliquando fuſcum eſt, aliquando ſubcruentum*; ſcil. dum fluit materies uti th. 9. dicetur,

Sæpe hæc materies in visceribus collecta per validam criſin evacuatur ibi, ubi visceris, quod obſidit, venæ deſinunt, illæ autem omnes deſinunt in Hepar, ergo omnis per Venam portam pellitur in ipſum, eoque delata vel [α] in Venæ Cavæ ramos tranſiens, cum reliquo ſanguine corpus pervadit, & plurima pro variâ partis functione, quam occupat, excitat Symptomata, Hinc Hippocrates Aph. 40. Sect. VII. *Si lingua ex improviſo impotens fiat, aut aliqua corporis pars ſiderata, Melancholicum hoc ipſum fit*; Idem vid. Sect. VI. aph. 56. Si vero alicubi hæreat mutatur in Bilem Atram Secundi Generis. (2). vel (β) per ductus Hepaticos in ductum communem exit in Inteſtina, & per os vel anum ejicitur nomine Bilis Atræ mitioris, quæ nigra facta eſt ſtagnatione, uti omnis cruor non modo, ſed & cujuscunque liquidi noſtri craſſamentum ſtagnatione nigrum fit, (patet in Variolis jam exſiccatis) nullum vero plus quam ſanguis, ejusque maxime terreſtris pars, uti patet in Contuſionibus; Symptomata tum concomitantia obſervata Aretæo ſunt nauſea, cardiogmos, delirium, vomitus, diarrhœa, pulſus inæqualis &c.

X. Criſis (9) fit 1°. ſponte naturæ i. e. quando ea, quæ in corpore vitalia ſuperſunt propriis viribus (puta elaſticitate ſolidorum & liquidorum mobilitate) materiam, non adeo impactam, ſolvunt, & mobilem reddunt. (2°.) Vi alicujus morbi accedentis, imprimis acuti, in quo, cum conſiſtat in accelerato ſanguinis circulo, magis vaſa premuntur, hinc illa validius reprimunt, hinc attritus augetur, hinc ſolutio impactorum, & manente eadem preſſione à tergo, propulſio; ſed, ne hæc materia in morborum acutorum initio exiens pro illa ab Hippocrate lethali dicta ſumatur, cavendum eſt, quum ejus non poſſideat characteres. 3°. Medicamentis quibuscunque ſolventibus, vel ſtimulantibus, hinc Hipp. Helleboro ſæpe eam produxit. 4°. Erroribus in ſex R. N. N. commiſſis, hinc Aëtius Tetrab. III. Cap. XVIII. *præcedunt fluxum diæta ex eduliis Atram Bilem gignentibus, & laſſitudines immodicæ, regio ei aptiſſima eſt frigida & ſicca, tempus Autumnus*; Frigus enim externa magis conſtringit vaſa, hinc lege circulationis major in interna impetus eſt; validior motus corporis eoſdem ac morbus acutus producit effectus, vel reſpirationem augendo producit reciprocam diaphragmatis & musculorum Abdominalium in contenta preſſionem auctam, hinc ſolutionem & expulſionem; Animi pathemata nervos irritantia, ſanguinis circulum turbantia; & in genere omne tale vitium quod liquida noſtra nimis exagitat.

XI. Hæc [8. 9. 10.] mutato nomine erunt ſigna, adeoque Diagnoſis patet.

XII. Prognoſis hujus ſpeciei facile juxta Theoriam noſtram inſtituitur; nimirum quod ſit curabilis & pro varietate majoris vel minoris lentoris, majoris vel minoris ſedis, temperamenti, cauſæ, & temporis durationis facilior vel curatu difficilior; Hippocr. de Natur. human. *Atra Bilis inter omnes corporis humores viscoſiſſimus, & ſedes diutiſſimas facit*; Curationem ſæpe attulere ſcabies fœda, tanquam ſignum materiæ diſperſæ per extrema, adeoque loca ignobiliora (ſi cum veteribus loqui liceat) Varix numeroſa ingens, tum *Hæmorrhoides fluentes* Hipp. aph. 11. Sect. VI. uti & rejectio Atræ Bilis per ſuperiora & inferiora (9) cujus Symptomata concomitantia non metuenda ſunt, modo tractetur æger Methodo infra dicenda. Si ſibi permittatur, nec criſi (10) expellatur, abit in Bilem Atram ſecundæ ſpeciei (2) & tandem tertiæ (2) fitque lethalis.

XIII. Hippocrates fere nullibi in ſuis ſcriptis Melancholiæ proprie dictæ curam tradidiſſe videtur, quam in Aphorism. 9. Sect. 4. *Melancho-*

*cholicos uberius deorſum purgabis, eadem ratione contraria adhibens* i. e. (juxta Heurnii Interpretationem) *adhibita ea cautione, quæ adhiberi debet ad excitandam naturæ vim, liberanda obſtructa, & ad purgandam Materiam.*

Veterum Principum, prout expiſcari potui, cura hiſce præceptis peragebatur imprimis notante Oribaſio & Aretæo; *In morbi initio V. S. parca inſtituenda, Aloe & Epithymo leniſſime quotidie alvus ſubducenda, poſt purgatam alvum Abſynth. decoct. vel ejus ſuccus multâ aquâ dilutus propinandus, & circa veſperam acetum, melius vero acetum ſcilliticam*; [Hæc mihi videtur cura primæ ſpeciei Atræ Bilis,] *quum vero jam morbus ex totius corporis conſenſu originem ducat* (puto cum materia jam fluit (9) *non minus Vena ſecanda eſt, viribus refectis per inferiores partes purgandum eſt corpus Helleboro, vel Medicamento ex Aloe & Epithymo cum ſero lactis, primæ viæ fovendæ ſunt fomentis anodynis & corroborantibus, uti ex Bacc. Laur. Anetho, Fœnic. Aniſo &c. interim dandum ſem: Malvæ decoctum, vel aq. mulſa.* Plura videſis apud dictos Autores.

XIV. Conſideratâ vero cauſâ proximâ Medico Rationali naſcitur hæc Indicatio curativa, acre corrigere, materiam meabilem reddere, cum cautela educere; hiſce ſatisfit imprimis quatuor obſervandis Regulis- Reg. 1ª. Inquirenda eſt prædominantis acris natura, quod quadruplex hic eſſe poteſt, vel (α) alkalinum, ſi ſanguis ſtagnans, & fere extra circulum ſanguinis hærens originem ex chylo è regno animali deſumto duxit, vel etiam ſi jam mutatus in indolem animalem, id eſt, ſi verus noſter ſanguis ſit, calore corporis noſtri fovetur; vel [β] acidum, ſi ex chylo vegetabili ortus ſit; vel (γ) muriaticum, ſi tale multum aſſumſerit æger; vel (δ) acre ſulphureum, ſeu oleoſum, ſi oleoſis acribus aromaticis æger delectatus ſit, vel ſi ſanguinis oleum nimis ſolutum, & liberatum ſit continuo fotu caloris noſtri; quæ ultima acredinis ſpecies proxime primam accedit.

(α) Alkalinum cognoſcitur ſiti intolerabili, fætore & acrimonia urinæ, ſalivæ & ſudoris (β) acidum, fœtore acido, ſapore ſimili, colore oris pallido, ſiti non magna, urina ſtranguriofa, craſſa, alba, turbida, [γ] muriaticum, ſiti, ſapore ſalſo, ſiccitate & rigiditate corporis, urina cum pellicula ſalina. [δ] oleoſum, ardore & ſiccitate per totum corpus, ſapore amaro, pingui, fœtore empyreumatico, ſiti intenſiſſima, urina flammea.

XV. *Reg. 2da.* Contraria naturæ [14.] prædominantis acris danda ſunt,

ſunt, non vero ea, quæ in genere omne demulcent acre involvendo, ne ſimul lentor & immeabilitas liquidorum augeatur, ergo oppoſita danda ſunt parva doſi, ſed reiterata, (ut prædominans non vi ſed blanda conſuetudine, vel mutatione totius maſſæ ſanguinis deſtruatur,) vacuo ſtomacho, cum leni deambulatione in aëre temperato, ut, determinatione facta, fiant ſimul Eccoprotica; addito victu ex oppoſitis, cum motu corporis moderato.

(α) Si Alkali prædominetur, detur acidum quodcunque blandum ex animalibus, vegetabilibus, vel foſſilibus, qualia ſunt plurima ex Tartaro acido præparata, ut cremor ejus. Tartar. regeneratus Sennert. &c. Sulphurea: victus ſit ex farinaceis decoctis in aqua, ut ptiſana, panatella, juscula, avenacea diluta; ex fructibus maturis gratis, acido dulcibus, horaeis maxime ſucculentis, ut ceraſa, ribeſia, mora, fraga, poma, pyra, melones &c. cocta ex his juſcula cum pane & aqua, ex lacte vegetabili, ſero ejus, ebutyrato, hydrogalacte.

(β) Acido contraria ſunt ſalia quæcunque alkalina, ſaponacea ex ſale alkal. & oleo facta, uti ſap. Venet. cui, vero cum utplurimum admiſceatur calx viva, ſubſtitui poteſt Sap. ſapientum, vel propria manu præparandus eſt. Victus ex juſculis carnium, ovis, gelatinis, & ex his compoſitis.

(γ) Acrimoniæ muriaticæ fere nullum novi oppoſitum ſalem, proſunt tamen Saponacea Nativa, ut Mel. Manna, Caſſia, Sacchar: verum quia hoc acre profundius latet involutum, nil melius eſt, quam aq. Calcis. viv. cum melle edulcorata; quæ ſalem hunc quaſi magnetica vi extrahit & ſolvit, docente experimento culinari in macerandis piſcibus ſalitis. Victus ſit ex inſulſis, & aquoſis vegetabilibus, vel animalibus non ſalitis, facilis digeſtionis.

(δ) Oleoſo acri contraria ſunt ſaponacea acida, ut oxymel, herbæ ſaponaceæ acidæ. &c. Victus uti in alcalino.

XVI. *Reg. 3tia.* Horum omnium continuatione ubi liquefactæ, & motæ materiæ ſigna (9) apparent; indicatio eſt efficere ne quieſcat materies, cum difficile iterum moveatur, ſed ut educatur, quod fit Eccoproticis naturæ prædominantis acris contrariis, ejusdemque indolis Clysmatibus injectis, quibus Inteſtina (cum opus ſit) defenduntur contra materiæ exituræ acrimoniam, ſic in alkalino ſerum lactis ſubaceſcens, in acido juſcula carnium cum Sapon. Venet. &c. pergitur educendo quamdiu color fœcum manet niger, (exit enim aliquando ad lib. aliquot) vires ægri ſuperſunt, & non nimis exacerbatur fluxus.

XVII.

XVII. *Reg. 4ta.* Si nimis ferveat materies, & fluxus exorbitet, cum animi deliquiis, anxietatibus, ſudore frigido, compeſcetur cardiaco, diluente, emolliente virtuti acri oppoſitæ, ſi vero nec his coerceri queat, accedendum eſt ad Opium, ſed ſumma cum cautela, & non niſi dictis cardiacis & diluentibus mixtum.

XVIII. Quid igitur Cura (14. 15. 16.) Mechanicorum ab Hippocratis deflectit? niſi forſan in uberiori purgatione, quæ, quum Hyppocrati per Helleborum ſummis cum cautelis datum inſtituebatur, non ita vehemens videtur, & ſane licet noſtra cura ab illa differret, quid nocet tutiorem inflectere viam? Alii vero Medicorum Principes (13.) numquid aliud quam nos intendunt? Venam ſecant, ſed initio, quum viſciditas adhuc maxima cauſa mali eſt; Aloen & Epithymum dant, ſed ita, ut ſint ſaltem Eccoprotica, Abſynthio dato viſcidum incidunt, Mulſa & Malvæ decocto temperant, fomentis vero & diluentibus, materiam determinant, viſceraque muniunt. &c.

Corroll. Convenit ergo Praxis ſolo ratiocinio Mechanico nixa Veterum experientiæ.

XIX. Hac autem [14. 15. 16.] Methodo curantur omnes morbi ab hac Atra Bile orti, ut Deliria inveterata, Maniæ, Quartanæ diuturnæ non curabiles niſi Hypochondria intumeſcant, & hujusmodi materies effluat, teſte Hippocrate & Sydenhamo; Scorbutus, Ulcera antiqua, Tabes, Hæmorrhagiæ peſſimæ; ergo omnes fere morbi Chronici, quamdiu curabiles ſunt; curabiles vero ſunt, quamdiu materies hæc cum ſolidis in Scirrhum non concrevit, & quamdiu viſcera nondum deſtructa ſunt, illa enim renovare non eſt noſtræ, ſed Divinæ artis.

Coroll. Ergo hactenus in plurimis Chronicis Mechanicorum in Praxi felicitas vindicata eſt.

XX. Secundæ Atræ Bilis ſpeciei [2] Cauſæ ſunt, [α] nimia mora in viſceribus, ubi quum calore noſtro continuo foveatur, acrior redditur pro varia ſua origine varie. [14. [β] motus. [γ] æſtus. [δ] animi pathemata. [ε] morbus inflammatorius. (ζ) omnes nimiæ evacuationes. Hinc Hippocrat. obſervat poſt vulnera magna vomitum vel ſeceſſum Atræ Bilis; evacuantur enim venæ, hinc minus reſiſtunt, hinc ſanguis hærens facilius arteriarum vi propellitur. [η] Medicamenta ſtimulantia valida; horum omnium ætiologia facile ex [10] patet.

XXI. Hæc materies cauſis [20.] exaſperata, mota, nec bene educta rodit vaſa, & qua data porta erumpit primo verſus Hepar; dein, vel in Venam cavam, vel in Inteſtina, ex quibus ſurſum vel deorſum expel-

litur, colore atro, foetore acido, vel alkalino, vel ſulphureo, ſapore ſimili, ſpumeſcens, nam agitando acrimonia ſua nervos, inteſtinorum ſpasmos excitat, unde ea transſiens conquaſſatur, & aëris particulis admiſcetur.

XXII. Symptomata eadem ac [ 9 ] ſed graviora ſunt, nervos enim adurendo, vel ipſa ad partes quascunque fluens facit Nauſeam, Cardiogmos ſeu ſenſus, quaſi ferro ignito partes ſub Sterno ſtringerentur, vomitus perpetuos, diarrhæas ſæpe violentiſſimas cum animi deliquio, pulſus inæquales, ita ut ignarus Ægrum in Mortis agone verſari putaret, animi Deliquia frequentiora, ita ut ſæpe cadavera mentiantur; Sudorem frigidum, Inflammationes, Gangrænas, Sphacelos &c. teſte Aretæo, Aëtio, & Boneto in Sepulchreto Anatom.

XXIII. Status morbi hic ob auctam acredinem & viſcerum læſionem periculoſiſſimus eſt, Hippocrat. Sect. 6. Aph. 56. & abit in ſtatum abſolute lethalem; alkalina temperies maxime periculoſa & præceps eſt, quia Gangrænas citiſſime proſerpentes producit; acida pertinaciſſima, non vero ita periculoſa; ſi materies intra ſuos limites ſe coerceat, & prudentia dirigatur, ſæpe ſanari poteſt.

XXIV. Cura eadem fere ac [13. 15. 16.] ſcil. 1°. diluere ſummopere, ut materies viſcida, facile adhærens, meabilis reddatur, & acre augendo vehiculo infringatur.

2°. Abluere vel detergere ſaponaceis oppoſitis prædominanti acri exhibendis, hinc viſcidum ſolvitur & aquæ miſcibile redditur.

3°. Eluere, ſeu ad inteſtina deducere per diluentia Eccoprotica, & clyſmata acri contraria, ſic vander Heiden cum ſucceſſu ſolum acetum injicit,

4°. Dare opppſita acri pro Cardiaco.

5°. Moderari fluxum, ſeu ſpasmos a materia effera excitatos cohibere per opiata & diluentia, ne ſcil. vaſa nimis ſe conſtringendo ob irritationem, fortius acre illud amplectantur, & ipſa lædantur, vel acre nimis impellendo ejus vim augeant, nullum enim acre per ſe agit, [ niſi ſummum cauſticum ] ſed omnem actionem a ſolidorum & fluidorum vi accipit.

Coroll. Ergo hæc Cura iterum a Veterum fere non deviat.

XXV. Tertiæ Atræ Bilis ſpecies eſt materies ( 19 ) quæ, cum Lienem vel Hepar diu obſederit, illa fere corruperit, movetur calore, motu, medicamentis, vitiove quocunque in ſex R. N. N. cuncta erodit, & in gangrænoſam materiam eliquat; cum enim tanta ſit visciditas & acredo, ſimulque moram trahat, facile gangrænam inducit visceribus, quæ obſider.

XXVI. Symptomata ſunt eadem ac (21), ſed multo peſſima, & lethalia; cum exit, refert materiam atri coloris, foetidiſſimam, cadaveroſam, alkalinam, vel acidam: alkalina ſi ſit materies, tum lucet, ſplendet, grave olet, excepta terrâ non fermentat, teſte Galeno: acida materies eſt deſcripta (1) Dureto, & Aëtio Tetrab. II. Serm. I. *Atram Bilem cognoſcimus ex eo, quod ad terram fuſa ipſam rodat, ac fermentet, velut acerrimum acetum.*

XXVII. Hæc Bilis rara eſt, niſi gangrænoſa præexiſtant Viſcera, incurabilis ergo eſt ob Gangrænam ſeu Sphacelum Viſcerum, nulla humana arte curabilem, & horrenda Symptomata, quæ fluens per Viscera Chylificationi inſervientia excitat, ut Dyſenterias, Inflammat: Cancros &c. Hippocrat. Aphorism. 22. 23. 24. Sect. IV. habet prognoſin hujus ſpeciei. Aretæus Lib. I. de Chron. Cap. 5. *Atra Bilis in acutis Ægritudinibus, ſi in ſuperioribus apparet, oppido quam mortifera eſt, ſi ad inferiora deſcendens exit, non valde vacat diſcrimine.* Aëtius Tetrab. II. Serm. I. Cap. 36. *Quibuscunque morbis inchoantibus Bilis Atra ſurſum & deorſum prodierit, mortale eſt, & rurſus quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, aut ex vulneribus attenuatis, Bilis Atra ſubierit, poſtridie ejus diei moriuntur.* Curari ergo nequit; palliari igitur debet, & quodammodo poteſt.

XXVIII. Palliatio fit (α) acrimoniam reddendo inertem. [β] Viſcera, per quæ fluit, muniendo. [γ] Vires Ægri reſtituendo.

XXIX (α) Fit per contraria peccanti acri parva doſi ſæpe repetita, & lenia, ne fortiora nimis augendo motum Viscera magis deſtruant. [β] Fit demulcentibus univerſalibus ſuperne & inferne aſſumtis, eodem modo ac in Veneno aſſumto. [γ.] Fit diætâ acri prædominanti contraria.

XXX. Cavendum ſummopere ab omni Medicamento, quod motum ſolidorum vel fluidorum augeri poteſt, ne materia in actum ducatur.

XXXI. Hæc (26, 27, 28.) quamvis ex Veterum ſcriptis haurire non potui, ratiocinio tamen Mechanico facile inveniuntur, quorum prudens adminiſtratio felicem eventum promittit & reapſe ſaepe probavit. Ergo iterum Mechanicorum Felicitas in Praxi vindicata, docendo, morbi inter chronicos peſſimi, & plurimorum auctoris, materiem, cauſam, effectus, ſedem, cognitionem, curationem, ſoli in Mechaninicis perito Medico, patere.

## Caput quartum.

### *De Febre Ardente.*

I. Solo ſanguinis circulari aucto motu poſito ſequuntur omnia Cauſi ſymptomata Veteribus obſervata.

II. Aucto circulari ſanguinis motu, augetur ejus in vaſorum latera impetus, increſcit ergo vaſorum in ſanguinem reactio, ergo actio liquidorum in ſe mutuo, & in vaſa, hinc tota liquidorum maſſa magis compingitur, fit ergo ſolidior, hinc manente motus velocitate (1.), per repetitum ſæpius hunc tranſitum per ſolida, fiet per omnia vaſa major attritus, hinc liquidiſſima per lateralia minora vaſa exprimuntur, hinc per Glandularum emunctoria, & vaſa in corporis ambitum hiantia in auras abeunt, hinc ſenſim inſpiſſatur ſanguis, ejus particularum puncta contactuum augentur, earum ſphærica figura in planiorem mutatur, ergo earum meabilitas minuitur, hinc ibi, ubi major eſt reſiſtentia, hærebunt, hoc eſt, ubi ſolidorum in liquida puncta contactuum & vice verſa augentur, illud eſt in minimis vaſculis.

Coroll. Ergo Febris Ardentis cauſa efficiens erit ſola vis Cordis aucta; cauſa materialis ſanguis liquidiſſima orbatus parte; ſedes mali plexus arterioſi per totum Corpus; ergo cauſa proxima erit Inflammatio per totum corpus, ex ſanguine denſo, craſſo.

III. Ubi duo corpora inter ſe teruntur, erit calor, & quidem ea lege, quod prout corpora ſint ſolidiora, majori cum vi ſibi mutuo applicentur, & velociori motu moveantur, eo calor erit major, ergo cum ſanguis eſt ſolidior, ejus particularum ſibi mutuo & ſolidis majori cum vi applicatio, & motus projectilis major, calor naturalis auctus eſſe debet, eoque major quo tres dictæ cauſæ majores ſint, atqui hæ cauſæ hic adſunt, [2.] & in maximo gradu, ergo *Calor erit intenſus, urens*; quumque hæ tres cauſæ eadem proportione in omnibus corporis locis non obtineant, erit *calor inæqualis diverſis in locis*; his [2.] increſcentibus ſenſim, ſanguis magis ac magis ſtagnabit in minimis, tandemque in majoribus ramis, hinc in iis fiet maxima reſiſtentia, hinc ſolus ſupererit ſanguinis auctus motus circa vitalia, *ergo extrema frigeſcent, & circa vitalia ardentiſſimus erit calor.* Hippocrat. Lib. 1. de morb. *hi*

*qui*

*qui a Febre Ardenti corripiuntur*, *internis quidem partibus a febri exuruntur*, *externis autem frigidi ſunt.* quum hic calor per Pulmones aëri contiguo communicatur, ipſe *aer exſpiratus* erit *calidiſſimus.* Hippocrat. dicto loco *lingua & fauces ab interno ſpiritu & caliditate exaſperantur*; ſanguine liquidiſſimis orbato in minimis ſtagnante fiet *ſiccitas in cute, naribus, ore, lingua, oculis* &c. ab eadem cauſa vel ſimul addita acrimonia fit *ſitis*, quæ ob obſtructas Glandulas & vaſa ſalivalia erit *inexplebilis*, ſanguine (2.) difficile per Pulmonum rete Malpichianum fluente, illud diſtenditur; ergo veſiculas anguſtat, ergo aër difficile illas explicat, hinc *Reſpiratio erit anheloſa, cita*; vaſorum extremitatibus ubique obſtructis (2.) Cor ſanguinem ſuum libere propellere nequit, hinc minorem copiam exprimit, hinc minus dilatatur arteria, quæ cum ſimul præ liquidi defectu in vaſculis tunicam ſuam conſtituentibus ſicca eſt, adeoque magis reſiſtit, difficile dilatatur, & dilatata ſtatim ſe contrahit, hinc *motus arteriarum parvi, imbecilli*; quumque tanta vaſorum pars obſtructa ſit, demonſtrantibus Hydroſtaticis, momentum velocitatis augetur per non obſtructa, hinc ſanguis citius per vaſa currens, citius pellitur in auriculam dextram Cordis, ergo citius expelletur in ventriculum dextrum, ergo citius in auriculam ſiniſtram, ergo celerius in cavitatem ſiniſtram, ergo citius in Aortam, hinc *pulſus crebri*; turbata circulatione omnes ſecretiones læduntur vel vitiantur, hinc *faſtidium cibi, nauſea & vomitus, alvus quandoque ſtricta, quandoque laxa*; pro varia ſanguinis craſſitie, acrimonia, preſſione in Renes, fit *urina modo rubra, modo flammea, modo cruda & alba*; ſanguis (2.) omnium difficillime movebitur ubi maxima eſt reſiſtentia, hæc eſt circa Viſcera Abdominalia, hinc *Præcordiorum* ſeu potius in regione Epigaſtrica *anxietas*; ſi jam hæc fibra jam illa magis tendatur, continuus fit ſtimulus in Cerebro, hinc *inquietudo*, prius fit ab inæquali circulo ſanguinis ob vaſa jam magis jam minus reſiſtentia, ergo & ejus ſequela.

Quoties muſculorum fibræ nimis diu tenduntur, toties laſſitudinis ſenſus oritur, ſanguine vero in minimis ſtagnante continuo tenduntur, hinc *Laſſitudo.*

Quoties eadem diſpoſitio a cauſa interna in Cerebro oriatur, quæ, dum mens hanc vel illam rem cogitabat, præſens erat; toties in mente excitabitur eadem Idæa, quæ ſi tam vivida ſit, ut ab objectis præſentibus deſtrui nequeat, homo dicitur delirare; hæc diſpoſitio fieri poteſt ab inordinata actione liquidorum, vel ab acri rapto in Cerebrum tanquam ſenſorium commune, quæ cum hic adſunt,

adeſſe debet *Delirium*; ab eadem cauſa agente in nervum, vel Cerebrum, vel ejus membranas fit *Convulſio*; ſique in Cerebro vel ejus meningibus ſtagnet Sanguis, fit *Phrenitis*; quumque motus Sanguinis auctus ſit, augetur ſæpe ſecretio liquidi nervoſi, ergo Pervilegium, aut ſi adeo impetuoſe in Cerebrum ruat, ut vaſa ſanguifera nimis diſtendendo nervorum tubulos comprimat, adeſt *Coma*.

Hæc omnia Symptomata paſſim Veteribus obſervata ſunt, imprimis Vid. Hippocrat. de Vict. in Morb. acut. p. m. 227. Item de Affectionib. p. m. 38. Item de Morbis Lib. I. Pag. 111. Aretæum de Morb. acut. Cap. IV. de Cauſo; Aëtium Tetrab. II. Serm. I. Cap. 178. & Æginet:

Corallar. Ergo Symptomata Cauſi à priori ex cauſa proxima (2) ſolo ratiocinio deduci poſſunt Mechanico.

IV. Omne quod motum Sanguinis auget, liquidiſſima diſſipat, aut liquida coagulat, vice cauſæ procatarcticæ fungi poteſt; hinc Hippocrat: dictis locis & alibi accuſat iter longum, æſtum ſolis, laborem nimium, ſitim diu toleratam; ſic uſus calefacientium, fermentatorum, aromaticorum acrium, quarum omnium Ætiologia facilis eſt.

V. Cauſa proxima [2] rite perpenſa docebit hunc morbum eſſe periculoſiſſimum, & celerrimum, prout vero vis Cordis validior, ſanguinis denſitas major, obſtructio univerſalior, eo periculoſior & celerior erit morbus, ergo eo pejora erunt Symptomata, quæ doctrinæ ergo referuntur ad actiones vitales, naturales, animales, excreta & retenta, qualitatesque corporis, ergo êo magis hæc à ſanitate deflectent; hinc pulſus quo debilior, frequentior, inæqualior robore, inordinatior tempore, intermittentior ictu; reſpiratio quo difficilior, frequentior, anheloſior, quo magis dolens circa vitalia, eo periculoſior morbus; hinc urina nigra, pauca, tenuis Theophilo lethalis, ſanguinis ſputum, mictus cruentus, alvus nimis laxa lethalis Hippocrat: Sydenhamo; cum tremore abit in delirium, & ob Cerebri jam læſi neceſſitatem ad vitam in mortem, Hinc Hippocr. Aph. 26. Sect. 6. *quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirium ſolvit*, i. e. juxta Heurnium *à vita liberat*; Extremorum refrigeratio peſſima, facies rubra, ſudans mala; tandem fit Peripneumonia & mors, quum juxta Hippocrat: omnis ſanguis in Pulmones trahatur, intellige, quum omnibus vaſis obſtructis ſolus circulus ſanguinis celerrimus ſit circa Pulmones, unde hi obſtruuntur, deſtruuntur.

VI. Decurſus vero morbi à priori vix certo dici poteſt, quod nempe juxta Hipp. 3^tio^ vel 4^to^ die ſæpe lethalis, 7^um^ raro tranſcendat, ſi perfectus ſit Cauſus, quoniam ſolidorum & liquidorum reſiſtentia contra deſtructionem certo definiri nequeat, magnam tamen hic lucem affert comparata rigiditas vel laxitas fibrarum, denſitas vel raritas liquidorum cum impetu Cordis, hinc robuſtis & exercitatis hic morbus lethalior & celerior habetur Hippocrati.

VII. Quum (2) obſtructio hic ſit cauſa morbi, hacce ſoluta ſolvetur morbus: omnis vero in nobis obſtructio ſponte ſolvitur vel 1°. laxatis eousque vaſis, ut obſtruens transmittant, vel 2°. materiâ obſtruente, non adeo compactâ, dilutâ vel attenuatâ, vel 3°. auctâ elaſticitate vaſorum, ut obſtruens retropellendo ſucceſſive attenuent. Primus modus ſi fiat, materies nondum attenuata ſatis (α) exibit per vaſa ſecretoria magis laxa, ergo per Renes, hinc Hippocr. *ſolvitur urinâ craſſa cum ſedimento*; vel (β) hærebit in locis omnium maxime reſiſtentibus; i. e. in glandulis, quas obſtruit, & inflammatione afficit, quæ ob vitæ vim, tum ſatis validam, ſuppurat, hinc Hipp. in Coacis, *ſolvitur ſæpe per parotidem ſuppurantem*; vel (γ) circa nares hærens faciet Hæmorrhagiam, vid. Hippocr. de vict. in Acutis.

Duo poſteriores modi ſi obtineant, materies obſtruens erit cocta ſeu aſſimilata i. e. in naturam noſtrorum liquidorum ſimillimam mutata, hinc materies proprie obſtruens non expellitur per criticas evacuationes, ſed quum à morbi cauſa excretiones eſſent ſufflaminatæ, ſublata cauſa iterum pergunt, hinc ſudore, alvi fluxu, urina alba, craſſa cum levi ſedimento, vomitu, ſputo craſſo dicitur Hippocrati ſolvi, quæ proprie ſunt ſigna non ſolutionis cauſæ.

Vel ſolvitur cum rigore, quum nempe materia attenuata propellatur in venas, hinc quoniam ex reſiſtentia in minimis aucta tantus erat calor, jam ſubito ſublata reſiſtentia pro momento omnis calor ſublatus eſt, hinc fit ſenſus horroris, Hippocr. S. IV. aph. 58, Hæc ergo ſolutionis ſigna ſeu Criſes fient imminuta cauſa morbi, ergo imminutis ſymptomatibus, ergo in fine morbi, quum vero à poſteriori novimus cauſam morbi, in decreſcendo tanto temporis ſpacio egere, quantum in increſcendo, morbi finis æque diſtabit ab ejus ſtatu, ac hic ab initio, ergo hæc apparebunt *die decretorio* juxta Hippocrat. cum vero hæc oriuntur ab aucta vi morbi, tum ut plurimum ante vel in ipſo ſtatu morbi fient; hinc tum peſſima ſunt ſigna. Hipp. ſ. IV. aph. 56. idem in Coacis p. m. 467. *in Febre Ardente ſi in alvum eruperit*, *mortale eſt*; idem ibidem,

*In*

*in Febre Ardente fluxio ſanguinis ex naribus, quarta die mala eſt.* Et aliis in locis.

VIII. Quum in omni ægro adſint vita, cauſa morbi, morbus ipſe, & ſymptomata, & illud, quod a ſano ſtatu deflectit, tollere, quod ei convenit conſervare, docet ratio; quatuor erunt Indicationes, [α) Conſeruare vitam, [β] tollere cauſam, [γ] morbum, & [δ] ſymptomata. Indicationi vitali dicitur [quamvis minus accurate] ſatisfieri victu dirigendo. Ex [2] cauſa proxima patet 1°. omnem lympham diluentem deeſſe, hinc ex fluidiſſimis ſit victus, 2°. ſanguinem valide moveri, hinc futurum acrem, ergo ex blandiſſimis, & acri oppoſitis; quum vero noſtri ſanguinis acrimonia tendat in alkalinam, oppoſita erunt acida blandiſſima, ſit ergo non ex juſculis, ſed panatellis, decoctis avenaceis, ptiſanis, fructibus horæis, ſubacidis maturis coctis tenuiſſimis; Hippocrat. ſ. 1. Aph. 16. *victus humidi omnibus febricitantibus conferunt.* idem de Vict. in morb, acut. *ſit Ptiſana, nam viſcoſitas ipſius levis eſt, & jucunda, & lubrica.* Aëtius Tetrab. 11. ſerm. 1. Cap. 78. *Cibi porro offerendi ſunt lactucæ, caules cum poſca aquoſa fervefacti, & cucurbitæ ſimiliter cum poſca, & ptiſanæ ſuccus tenuior dandus absque ſale aut alio additamento.* Quum ſolidorum & liquidorum actione naturali magis vel minus omnis egeat cibus, ut aſſimiletur, ſeu in indolem nobis reficiendis aptam mutetur, atqui hæc actio hic ſit læſa, minima debet eſſe cibi copia, & quo hæc actio magis læſa i. e. quo morbus validior, eo minor copia, hinc victus tenuiſſimus eſſe debet, Hippocr. ſect. 1. aph. 7. *ubi igitur peracutus eſt morbus, ſtatim extremos habet labores, & extreme tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt.* Tempus vero cibi exhibendi igitur erit, quum aſſimilari facilius poſſint, ergo quum remiſſior ſit morbus. Hinc Hippocr. ſ. 1. Aph. 10. *quibus igitur ſtatim vigor adeſt, ſtatim tenuiter alendi* &c. aph. 11. hinc mihi videntur omnia de victu acutorum deduci poſſe.

IX. [β] Prophylaxis inſtituitur, α. impetum ſanguinis moderando, β ſanguinem diluendo, [γ] reſolvendo.

[α] Sanguinis motus minuitur, minuto Cordis motu, ergo minuta liquidorum nerveorum ſecretione, ergo minuta copia ſanguinis, & ejus applicatione ad Cerebri glandulas, hinc V. S. ſatis liberalis, decocta alvum leniſſime laxantia, ſitus erectus ægri, totus, balnea inferioribus applicata, clysmata injecta &c. Sanguinis motum ſedantia ſunt.

[β Sanguis diluitur ei admiſcendo fluidum, fluidius deluendo, & poſt miſcelam fluorem retinens, talis unica eſt aqua, quum reliqua liquida

quida ſimul actionem ſtimulandi habeant, hæc aqua ſi debili calore magis mobilis reddatur, melius diluet, ſit igitur aqua tepida vel modice calida, hinc Aretæus, *ſit eorum potus in totum lactei teporis*, ſed qùum ſimplex nimis diſſipabilis ſit, reddenda eſt quodammodo viſcoſior, additis leviſſimis farinaceis, detur interne, externe autem applicetur balneis, fomentis, ſpongiis aqua ebriis, locis ubi plurima vaſa contactui magis expoſita.

γ. Reſolvitur ſanguis, ſi ejus particulæ præter naturam concretæ iterum reſolvantur in naturales, id fit 1o, cohæſionis principium ſeu particularum nixum in ſe invicem minuendo: cohæſio duplicem agnoſcit cauſam, vel principium hactenus incognitum, vel externam prementem, hanc igitur tollere erit reſolvere, hæc in nobis eſt actio ſolidorum & liquidorum in ſe mutuo (2), hæc minuitur imminuto motu ſanguinis projectili, hoc fit impetu cordis minuendo (α) & vaſis laxandis: a poſteriori autem novimus liquida noſtra calore, paulo noſtro ſano majori, coire, reſolvere igitur 2o. erit calorem externum temperare, aerem purum, frigidum, humidum reddendo, integumenta ſuffocantia & aggravantia corpus tollendo, epithemata frigida manibus applicando, vel 3io. reſolvere fit dividendo; omnis diviſio fit tantum dupliciter, vel ſeſe in dividendi corporis poros inſinuando, & illud defringendo, novumque coalitum impediendo, vel externo attritu; prioris claſſis erunt diluentia (β hujus), omnia ſalia, quæ adeo minutis conſtant particulis, ut non agant in ſolida & motum liquidorum augeant, tale inter omnia optimum eſt Nitrum, quod, quare hanc indolem præ cæteris habeat (licet forſan ex ejus Chryſtalliſationis accidentiis probari poſſet) nunc non inquiram, adde huic ſal. Ammoniac, ex obſervat. Anglorum Nitrum Hippocratis, omnia acida Vegetabilia, herbas ſaponaceas habentes Nitro æmulum ſalem eſſentialem, uti Endiv, Lactuc. Cichorea, Scorſon. Taraxiç. Acetos. Graminis Rad. &c. Poſterior claſſis hic non obtinet.

X. [γ] Therapeutica hic eſt tollere obſtructionem in minimis, huic ſatisfit, obſtruens, ut fluat; vaſa, ut tranſmittant, apta reddendo; prius fit diluendo, reſolvendo (9. β. γ.) vel vaſis elaſticitatem, ut ſe contrahant, & obſtruens retropremant, unde ex vario illo motu fit comminutio, & reſolutio, reddendo, id fit, ſi impetus ſanguinis in ea minuatur, ergo V. S. & (9. α) illa ergo non inſtituenda erit, ubi obſtructio adeo increvit, ut ſanguis revelli nequeat, & vaſa elaſticitatem amiſerint, ergo ſaltem in morbi initio, & ubi maximus adeſt calor; hinc etiam intelligitur quare V. S. jam profuit, jam obfuit; vid. Sydenham.

ham: poſterius fit reddendo, vaſa magis flexilia, illud fit, quum fibrarum puncta contactuum minuantur, ergo quum liquidum interponatur, laxantia ergo erunt liquida (9) copioſe aſſumta, vel externe applicata hauriendo vaporem calidum, blandum per nares, & os, colluendo os & guttur, Balnea per totum corpus imprimis vaporis applicando.

XI. Hiſce omnibus (9. 10.) ex cauſa proxima diductis experientiam Veterum quadrare patet ex ſcriptis Hippocrat. imprimis lib. de affection. p. m. 38. *Huic* (de febre ardenti loquitur) *conducit, frigefacientia adhibere, & ad alvum, & forinſecus ad corpus, cavendo ne inhorreſcat, potiones quoque ac ſorbitiones dandæ ſunt frequentes, & paulatim frigidiſſimæ, venter autem curetur, & ſi quidem non ſubeant, quæ inſunt, infuſa frigidiſſima per Clyſterem immittantur, aut quotidie, aut alternis.* Idem de Rat. vict. in Acut. *verum in acutis morbis venam ſecabis, ſi vehemens appareat morbus, & qui ipſum habeant in vigoris ætate fuerint, & robur ipſis affuerit.* Idem lib. 3. de morbis. *frigefactorias potiones in in febribus ardentibus, quando voles bibendas dato, ſunt autem multarum operationum, aliæ enim mictionem inducunt, aliæ alvi egeſtionem, aliæ utrumque præſtant, aliæ neutrum; aliæ ſolum frigefaciunt.* ibique enumerat circa 20 potiones, omnes noſtris indicationibus ſatisfacientes. Vid. Aët. Tetrab. 2. Serm. 1. Trallian. lib. 12. *lavandi ſunt, qui fervida perardenti febri laborant, in domo potiſſimum, ubi ſolium habeatur, tepente aqua plenum, ut totum ægri corpus undiquaque ab aqua operiatur.*

Nec minus Celſi cura noſtræ conveniens eſt, quum aqua frigida copioſiſſime hauſta cum determinatione ad ſudores, & calor (3.) cauſa ulterioris ſanguinis coagulationis, & obſtructio in minimis tollantur.

XII. Eadem hac methodo, adjunctis paucis cautelis ex Mechanico ratiocinio facile hauriendis, curantur fere omnes morbi inflammatorii.

Coroll. Mechanicorum ergo Felicitas in Ardentium cura vindicata eſt.

XIII. (δ) Symptomata, quum ſint morbi, vel ejus cauſæ effectus, curantur his curatis, ſi vero tam valida ſint, ut ægri patientiam ſuperent, vel aliud gravius producant, ratio (8.) dictat illa mitigare, conſiderata ſemper cauſa & morbi ſtatu; ſunt imprimis calor, ſitis, anxietas, æſtus præcordiorum, nauſea, vomitus, alvus nimis laxa, debilitas, convulſio, delirium, coma, ſudor, frigus extremorum.

XIV. 1o. Calor (3) nimius curatur attritum nimium inter ſolida & liquida tollendo, ergo (α) liquidorum molem, cohæſionem, preſſionem minuendo per V. S. (9.) diluentia, incidentia, nitroſa, ſubacida vegetabilium vel & mineralium maxime diluta; (β) vaſa laxando

per

per fotum, balnea, irrigationem aquæ dulcis (10.); (γ) calorem externum minuendo per aërem purum refrigeratum admiſſum, & nimia ſublata integumenta &c. Hippocr. de morb. popul. ſect. 6. *Si hominem calor corripiat, non a bile, neque pituita, ſed aut a febre, aquam multam calefacito, dein ea ſuperinfuſa caput rigato, donec pedes ſudarint* &c. Aët. Tetrab. II. Sect. I. Cap. 78. *prima auxilia in febribus ardentibus ſunt, decubitus in locis frigidis, qui ad purum aërem pateant, & perflantur, ſtratum molle & ſæpius renovatum, amicula aſſidue permutata, & ſatis gracilia, non ſordida, epithemata conveniunt pectori aut ſtomacho impoſita, ſunt & frigefacientia commoda* &c. *ſed & aqua & oleum calidum in pectus delata per lanæ manipulum, vehementiam ardoris facile obtundunt* &c. vid. Sydenham in Epidem.

XV. 2°. Sitis (3) fit a ſiccitate topica in ore, vel univerſali in ſanguine, vel ejus acrimonia febrili, naturæ ſcil: alkalinæ; ſedatur ergo humectantibus, aqueis, ſubacidis, permiſtis nitroſis & vinoſis, vel collutoriis. Vid. Hippocr. de morbis. Aretæum, Aëtium.

XVI. 3°. Anxietas vel Pectus vel Abdomen occupat, in Pectore fit, quum ſanguis (2.) libere per pulmones fluere nequeat, hinc Reſpiratio anheloſa, facies rubra &c. in Abdomine oritur (α) ab impedito circulo ſanguinis per Abdominalia viſcera; curatur motum per illas partes facilitando, illud fit diluentibus copioſis & incidentibus, ſimul laxando vaſa fomentis calidis applicatis, clyſmatibusque injectis emollientibus. Hipp. aph. 56. Sect. VII. *Anxietatem, oſcitationem, horrorem, vinum par pari aqua potum, ſolvit,* tanquam diluens & incidens. (β) vel a ſpaſmo ventriculi & inteſtinorum aërem intercipiente, qui rarefactus ſe expandit, ventriculum vel inteſtina diſtendit, hinc inſpirationem impedit; cognoſcitur ergo hæc ex ſpasmi univerſalibus ſignis, & levamine a flatu emiſſo; cauſa frequentius erit in iis locis acre nervos irritans; quod juxta Hippocr. docet *oris amaror, foetor, ſordes, appetitus proſtratus, præcordiorum tumor*; ergo indicatio erit (α) vomitu vel purgatione acre expellere, hinc vomitorio vel purgante in morbi initio dato omnem ſubſecuturam anxietatem tolli obſervatur plurimis Practicis. vid. Sydenham. (β) diluere aqueis calidis actu. [γ] obvolvere mucoſis, uti emulſionibus &c. [δ] efficere, ut fibræ, licet ab acri ſtimulatæ, facile diſtendi poſſint, abſque ruptionis periculo i. e. dolore, quod fit eas laxando fotibus, epithematibus laxantibus, clyſmatibus injectis, cucurbitis latis, quin & opiatis, ſed cum prudentia.

XVII. 4°. Æſtus præcordiorum fit a cauſis caloris (3) in hæc loca maxime agentibus, curatur ergo iiſdem (14), maxime topicis (16).

XVIII. 5^to. Nauſea eſt vomendi irritus conatus, ortus a ſpaſmodica contractione ventriculi; 6^to. Vomitus ab eadem cauſa accedente contractione muſculorum abdominalium convulſiva, uti Chirac in Hiſtor. Academ. Pariſin. demonſtravit; gradu ergo Nauſea a Vomitu differt; cauſa ergo utriuſque erit generalis cauſa ſpaſmi, illa eſt ſpirituum animalium inordinatus influxus, hic ab omni acre in ventriculo, vel intermedia via in nervo, vel in ipſo cerebro ejuſque partibus hærente, fieri poteſt; prima cauſa noſcitur (16) & curatur iiſdem (16) poſteriores ex vertigine, levi delirio, debilitate, ſpasmis hinc inde vagis, adeoque ex omnibus cerebri affecti ſignis cognoscuntur; curantur ergo cura antispasmodica generali interna, & exrerna ſolo ratiocinio Mechanico rite explicanda. Aët. Tetrab. 11. Ser. 1. Cap. 131. *Aliquando in ore ventris humor tenuis & acris, ac maxime æruginoſus convulſiones fortes & Syncopen inducens, efficit ut frigidæ exſudationes fiant, in iis aqua tepida in potu oblata, digitorum aut pennarum immiſſione vomitum movemus, ſi vero circa inteſtina morſus contingat, Ptiſana ſuccum per clyſterem injicimus.* Quæ ſimul curam (16) probant,

XIX. 7°. Diarrhæa Symptomatica lymphæ per pancreas, meſenterium, glandulas inteſtinales, æſophageas, gaſtricas, vel bilis per ductus bilioſos fluxui ortum debet: eſt ergo aucta in his glandulis ſecretio, ergo oritur vel ab aucta liquidorum ad has glandulas applicatione, vel minori in iis reſiſtentia, hæc vel à laxitate, vel ſtimulo nunc laxante nunc contrahente, prius vero hic vix obtineri poteſt, ergo poſterius; hinc indicatio eſt acre tollere, corrigere, & impetum avertere; ergo purgantibus, demulcentibus; ſudore excitato laxantibus & diluentibus non ſtimulantibus. vid. Æginet. Lib. 11. Cap. 58.

XX. 8°. Sudor nimius Symptomaticus ſemper agnoſcit fluidioris partis ex Sanguine expreſſionem, hæc plerumque nimiam villorum extremitates claudentium relaxationem, villorum glandulas miliares contrahentium ſpasmum nimium, ſimulque validam liquidorum ad has applicationem: curatur ergo temperando aërem nimis calidum, acre corrigendo largiſſimis potibus aquoſis, motum ſanguinis minuendo (9. *α*) vid. Hipp. in Epidem. Sydenh. in Epidem. Æginet. Lib. 11. Cap. 47.

XXI. 9°. Debilitas eſt impotentia movendi, fit ergo ab impedito liquidi nervoſi fluxu in Muſculos, oritur hic imprimis compreſſis nervorum tubulis à nimio impetu Sanguinis in Cerebrum, hinc facile co-

gnoſci-

gnoſcitur; curatur Sanguinis impetu à Cerebro revellendo, per Epiſpaſtica ad partes oppoſitas, pediluvia, clysmata, balnea, fotus, irrigationes, V. S. ſitum ægri erectum, unde major fit in Cerebro reſiſtentia, & quia in decubitu plurima comprimuntur vaſa, Cerebrum vero ob compagem offeam comprimi nequit, major motus ad illud fit, hinc ſitus erectus dupliciter prodeſt.

XXII. 10°. Convulſio eſt muſculorum contractio contra voluntatem, agnoſcit ergo eandem ac naturalis contractio cauſam, ſola voluntate determinante deficiente, ergo influxum liquidi nervei præter mentis conſcientiam, hic fit ab omni quod cerebri glandoſos folliculos, ortum huic vel illi nervo præbentes, premit; illud eſſe poteſt vel acre in nervos, meninges vel cerebrum delatum, vel ſanguinis inordinata preſſio; curatur ergo acre corrigendo (15) vel efficiendo, ut, licet ibi hæreat, effectum non ſortiatur, per omnia ea, quæ impetum ſanguinis a capite revellunt (21), vel tandem opiatis cum cautela. Hippocr. aph. 25. ſect. v. *multa frigida affuſa levat convulſiones*. quatenus nempe conſtringendo impetum ſanguinis a loco convulſo repellit. vid. Aët. Tetrab. II. Serm. I. Cap. 131. Sydenham in Scedul. Monit.

XXIII. 11°. Delirium (3) fit ab inordinata actione liquidorum in ſenſorio communi, hic ſemper fere ab acri rapto ad cerebrum vel nervos, vel ſanguinis nimio impetu. (3) curatur ergo uti (22); præcaveri vero ut plurimum poteſt in morbi initio applicando (21).

XXIV. 12°. Coma ſive propenſio in ſomnum fit ubi itus & reditus ſpirituum animalium per nervos impeditur, hoc fit ergo ab omni, quod ſecretionem ſpirituum impedit, vel tubulos nerveos comprimit, illud hic fit a nimio ſanguinis in Cerebrum impetu; curatur ergo (21), ſæpe medela non eget. Aëtius Tetrab. 2. Serm. II. Cap. 6. *vapores calidi & humidi e ſubjectis partibus ad caput in febribus delati, & ipſum implentes, affectionem faciunt, quam Medici coma nominant; curantur ex irrigatione roſacei aut chamæmelini cum aceto, ſit autem acetum acerrimum; glandes quoque ſedi ſubdantur, quæ multum irritare poſſunt*. vid. Sydenh. in Scedul. Monitor.

XXV. 13. Frigus extremorum; Frigoris ratio Phyſica me latet, producitur tamen in nobis cauſis caloris (3) ſublatis, hæ tolluntur, ſi ſanguis in minimis vel ſtagnet, vel tardiſſime moveatur; curatur ergo incidentibus, diluentibus, laxantibus (9, 10,) aquoſis calidis, lenibus, lotione, fotu, frixione; peſſime tractatur calidis acribus,

Corollar. 1. Hiſce (14 -- 25) notis plurimorum morborum noſcitur Cura.

Corollar. 2. Ergo Mechanicorum in Praxi Felicitas iterum vindicata.

De præſtanti hoc argumento, equidem fateor B. L. plura & meliora dici potuiſſent, ſed anguſti limites, intra quos Academicæ Diſſertationes coerceri ſolent, ingeniique mei tenuitas hic ſuperſedere jubent; interim ſi quid ſublimioris Doctrinæ hic reperias, id acceptum referas Eruditioni Meorum Præceptorum, quibus omnia, quæ in Medicina novi, debeo.

# F I N I S.

# ABRAHAMO BLEISVICIO

*Patricio Delphenſi magnis auſis feliciter potito.*

DEs, ubi ſtem! Terramque ſuâ mox ſede movebo!
Audax mechanicâ dixerat arte SENEX.
Effectu caruit, punctum Natura negabat,
Quo ſtaret SICULI machina firma SOPHI.
Si dederas Natura locum, vertigine mundi
Turbatâ, præceps Incola corruerat.
Des, ubi ſtem, Medicina, mihi, BLEISVICIUS inquit,
Mechanicâ, utilius moliar artis opus!
Annuit ipſa SALUS voto, temploque locatum
Hortatur, felix aggrediatur onus!
Incipit intrepidus duro meditata labore
Pandere, nec veris gratia dulcis abeſt.
Immenſum pondus nugarum hoc vecte repellit,
Hinc Tibi dat ſtabilem jam, Medicina, baſin.
Audiit ut Phœbus, Panacea, & Hygea, loquentem,
Applaudunt grato, qui fluit ore, ſono;
Et dignum cecinere Virum, cui ſancta referret
Præmia, pro meritis, ALMA MINERVA, ſuis.

Illa

Illa caput lauro nitidum de more coronat,
    Muſarumque chorus carmina fauſta canit.
Ut ſuperas annos! viridiſque in flore juventae
    Quam canae mentis fructus opimus adeſt!
Hippocratis doctrina Tuo decorata nitore
    Archimedæâ ſtat bene tuta fide!
Ipſe Syracuſio, & Cöo, fulgebis honore
    Artes quâ noſtrae, quâ medicina, cluent.
I miſeris Opifer! Delphis oracula pande!
    Te Patriae ſervet, quae Ars Tua, noſter amor!

Hermannus Boerhaave.